

IN ANNALES LAMBECIANOS

M O N I T U M

LUDOVICI ANTONII

MURATORI.

SAepe animadverterit eruditus Lector, laudari a Mabillonio, Pagio, aliisque Clarissimis Scriptoribus *Annales Lambecianos*, quos nempe ex Augustissima Caesarea Bibliotheca *Petrus Lambecius* Vir doctissimus, eidemque Bibliothecae olim Praefectus in suis Commentariis evulgavit. Quum vero Commentarii ipsi Lambeciani adeo rari sint, & in Italia potissimum, ut vel in ipsis illustrioribus Bibliothecis desiderentur; hinc mihi natum consilium rursus eosdem Annales proferendi, Italicisque Historiis addendi, quo in posterum genti nostrae facilis promptusve esset aditus ad eos, quum occasio posceret, legendos. Itaque rogavi per literas accuratissimum & egregium eruditionis cultorem *Nicolaum Forlosiam* Neapolitanum, supra memoratae Caesareae Vindobonensis Bibliothecae primum Custodem, ut eos pro sua in me benivolentia ex Lambecii Commentariis colligeret, & si quid mantissae ad eos haberi posset, monitum me vellet. Re ab ipso communicata cum doctissimo ac humanissimo *Garellio* Augustissimi Caesaris CAROLI VI. Consiliario & Archiatro, atque eidem Bibliothecae Praefecto, statutum est ad me mittere Annales eosdem, qui *Caesarei* quam *Lambeciani* aequius essent appellandi; simulque adjungere iudicium, quod de ipsis jam tulerat, instruebatque ad publicum diem amplissimus Vir *Johannes Benedictus Gentilottus*, eadem Praefecturam ante *Garellium* functus. En ergo *Lambecianos* Annales sub uno conspectu, hoc est in unum conjunctos, quando eorum fragmenta *Lambecius* non unum in locum Commentariorum suorum conjecerat. Atque utinam haec tam peregrina ac utilia essent, quam optassem, immo sperassem. Sed quae in eosdem Annales ante me adnotavit supra laudatus *Gentilottus*, tu infra consulito, atque intelliges, quodnam pretium statuendum sit *Lambeciano* huic dono. Neque vero aliud mihi de his dicendum restaret, nisi dono ipsi laciniam egregiam beneficis *Garellii* animus liberaliter addendam censuisset. Scilicet deprehenderat *Gentilottus* in Caesareo MSto Codice num. 600. latere fragmentum perquam pretiosum duorum Annorum, quod in *Annalibus Fuldensibus* haecenus excusis desiderabatur: videlicet gesta Anno 894. & 895. Hoc igitur additamentum ex nobilissima Bibliotheca, quae de hoc ipso Tomo, immo de publica re, tam bene ac tot titulis merita haecenus est, accipiant Lectores; & magnanimo atque immortalis Augusti nostro gratias habeant, quod thesauros suos tam lubenter finat in publicae Eruditionis usum, & augmentum erumpere. Optandum est, ut a tanto Principe & reliqui discant, non suis indormire opibus, sed eas velle communes omnibus. Et profecto antiquitatis monumenta, si abdita rigide serventur, quid aliud quam avaritiam, aut ignorantiam possidentis produunt? E tenebris vero educta, atque exposita omnium oculis, tum solum thesauri esse incipiunt, quippe possessori gloriam, & ceteris utilitatem tunc allaturi. Ego interea gavifus sum, quod ex hoc Historiae frustulo ea confirmentur, quae in Antiquitat. Esten. Cap. XXII. de *Adelberto II. Marchione & Duce Thusciae*, ejusque fratre *Bonifacio* olim scripsi; nam ex horum altero gravissimae conjecturae ferunt propagatam fuisse ante tot secula Atestinorum Principum gentem, quae nunc in Mutinae Ducibus, & Brunsvicensibus magnae Britanniae imperantibus florere pergit.